

125

madverti, nempe pag. XXXV. 12. pag. CCCXXX. 2. quæ  
 integrior repetitur p. MLXXXIX. 6. p. CCCCXVII. 6.  
 CCCCLXXXIII. 7. MCI. 5., quæ lineis aliter dispositis ite-  
 rum recusa est in Doniano Synt. Cl. VI. 20. & pag. demum  
 MLXXXIII. 10. Quinam autem cibi illi fuerint, qui sportu-  
 lis distribuebantur, difficile est statuere. C. Aufidius Verus præ-  
 ter nummos Pisarenisibus panem & vinum dedit n. XXXIV.,  
 ut alius ille in Grut. p. CCCXLVII. 1. Panem & vinum in  
 epulo non contineri svadet vetus Inscriptio in Grut p. CCCCL.  
 7. ET ADIECTO PANE ET VINO EPVLANTIBVS. For-  
 tasse panis & vinum sportulis distribuebatur, vel potius (\*)  
 crustulum, & mulsum; (\*\*) utrumque sæpe datum testantur ve-  
 tusti lapides pag. C. 5. GLXXXIII. 4. CCXXVIII. 8. CCCLXXXIII.  
 8. CCCCXLVIII. 4. CCCCLXI; neque tamen in epulo com-  
 prehensum docet Spoletina Inscriptio pag. DLXXI. 1. quæ  
 Spoletinis municipibus EPVLVM ET CRVSTVLVM ET MVL-  
 SVM legantur.

## X L I.

**I**nter Pisarenises Inscriptiones ab omnibus ferme hæc quo-  
 que recitatur. Errori ansam dedit Simeonius, qui primus  
 illam vulgavit, & Pisauri esse scripsit. Idem ex eo peccarunt  
 Smetius, & Gruterus. In repetita tamen hujus editione, ex  
 MSS. Pighii Arimini extare marmor notatur. Diserte testa-  
 tus id fuerat Eques Clementinus. (\*\*). *Raccolt. Isor. par. I.*  
 pag. 37. Ad Arimineses igitur pulcherrima Inscriptio perti-  
 net, quam idcirco Collectioni nostræ inseruimus, ut præclaram  
 Urbem in præclari monumenti possessionem publice restitueremus.

## X L I I.

**M**onumentum hoc a Plebe Urbanâ Tadiæ C. F., quod  
 ab ea singulari aliquo beneficio ornata fuerit, positum  
 Cl. Fabretto unice debemus, qui vulgavit Inscr. Dom. Cap.  
 VI. 50. iterumque Cap. X. 593. carent enim illo MSS. Col-  
 lectio-

(\*) Crustulum placente gener erat, ut Acron ad Horatium interpretatur, ex farina, melle & lacte paratum. V. Cor. par. I. Inscr. Etr. Urb. p. 324. Inde crustularii illarum artifices Senec. epist. LVI. & Arnobio, si vera Turnebi emendatio adversar. lib. XIII. Cap. XIV.

(\*\*) Mulsum potio ex melle & vino confecta, ut cuius notum.

(\*\*\*) Clementini exemplar pluribus scate erroribus: lin. 3. post. HIVIRO addit HIVIRO, quod licet a MSS. Pighii probetur, vix ferendum videri poterit; lin. 7. omittit verbum HQ-  
 NORE: lin. 8. adverbium INDVSTRIE in nomen convertit INDVSTRIAE.